



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi
decalogi Praecepto

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

Caput III. Hæresis notio, divisio & poenæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)

CAPUT III.

Hæresis notio, divisio & pœna.

Hæresis est error seu pertinax dissensio circa fidem in homine qui Christi fidem jam semel suscepit. Definitio ista ex sancto Thoma (2. 2. quæst. 11. art. 2.) est desumpta; qui ipse sanctum Augustinum ita loquentem inducit. *Qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid, primumque sapiunt, si correpti, ut sanum, rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque perniciosa, & mortifera dogmata emendare non volunt, sed defendere persistant; hæretici sunt (l. contra Manich.).* Ex utriusque sancti Doctoris doctrina triplex hæreseos nota deducitur, nempe quod sit 1. error intellectus circa fidei materiam, 2. error pertinax, 3. error in homine christiano, seu tali qui Christi fidem saltem baptismate susceptione est professus.

Pertinacia hæretica potissimum in eo consistit, quod homo baptizatus libere dissentiat ab illi cui doctrinæ, quam ab Ecclesia orthodoxa cæciliis propositam agnoscit, suumque iudicium Ecclesiæ iudicio præferat, non tam rationum pondere, quam perversæ voluntatis affectu trahitur (a). Hinc hæresis labem contrahit, quæ

(a) Fidei mysteria, eo ipso quod in se obscura sunt intellectu non rapiunt, ut ergo hic firmo assensu eisdem adhæreat, pia voluntatis motu interveniat oportet, uti sanctus Thomas (2. 2. quæst. 2. art. 1. ad 3.) advertit. Unde ex opposito

articulum negat, quem in Ecclesia catholica canonizatum novit, licet perverso suo iudicio eundem veluti falsum reprobarit. Si enim ille solum, qui articulo a se reflexe cognito ut vero contradiceret, vel cognito ut falso subscriberet, hæreticis accensendus foret, vix ullus exstitisset, aut futurus hæreticus esset.

Sed dices: Homo calvinianus Ecclesiæ Romanæ infallibilitatem non agnoscit; non igitur mirum, nec pertinaciæ est adscribendum, si hic quosdam ab illa propositos fidei articulos respuat. At causæ pessimæ patrocinaris. Calvinista eadem pœnali cæcitate, qua alias fidei veritates, etiam hanc non agnoscit; sicut ne alias, ita ne hanc quoque præcipuam intellectus credat, mala eorum voluntas impedit. Calvinista Ecclesiæ Romanæ infallibilitatem non agnoscit; sed numquid eam agnoscere facile posset, si prout teneretur, scripturæ testimonia, Patrum documenta &c. rite expendere; si malam voluntatem corrigeret? (a)

Nædum

ut intellectus cuidam erroneo dogmati firmiter assentiatur, *prava voluntatis affectio* seu motio eundem determinet necessum est.

(a) Hic forum Theologicum seu internum a foro juridico rite est distinguendum. *Juridice contumax* declaratur, qui post certum temporis intervallum ac repetitas admonitiones corrigere errorem contempsit. *Theologice contumax* aut pertinax e contra ille censetur qui sciens & volens Ecclesiæ doctrinam vel pro brevi tempusculo rejicit, suumque iudicium altiori submittere renuit.

Nædum qui unum fidei articulum proterve negat, sed & ille, qui de eodem deliberate positive dubitat tamquam hæreticus in jure habetur (*cap. 1. de Hæret.*). Dubium positivum in eo datur, qui pensatis motivis, prode contra pugnantibus, actu positivo judicat, et concludit, rem hanc incertam esse, quamvis uti certa credatur in Ecclesia. Qui ita animus est constitutus, judicium suum Ecclesie judicio præhabet, illamque saltem indirecte erroris arguit, qui ipsissimus hæreticorum est mos. Quod si tamen quis de aliqua fidei veritate nullis contrariis motivis, sed ex ignorantia hæsitet, vel libratis utrinque motivis animum alio vertat, suumque judicium suspendat, immunis ab hæresi manet; quia dubium istud negativum, licet periculosum sit satis, atque ad dubium positivum sæpe disponat, pertinacem tamen errorem excludit, adeoque hæreseos malitiam necdum attingit (a).

Hære-

(a) Duplici ex motivo quis suum de rebus fidei suspendere judicium potest. 1. Quia nescit, sitne judicium affirmans, vel negans judicio Ecclesie conformius; unde ne forte erret, ab utroque abstinere. 2. Quia expensis motivis hic & nunc judicare tædet, aliaque hic magis recogitare libet. 3. Quia voluntas ob contraria hæreticorum fundamenta assensus suspensionem imperat. Motivum primum omnino innocuum; secundum periculosum; tertium hæreticum est; quia (ut Antoine recte observat *de virt. Theol. cap. 3. Q. VI.*) ejusmodi dubitans æquivalenter judicat, contraria motiva tantum valere, ut incertam illam fidei veritatem reddant, quamvis ut fide credenda

Hæresis a scholasticis in *materialem* & *formalem* dividitur. Hæc est error in fide, cum pertinacia retentus &c. prout supra est dictum: illa error est in aliqua fidei materia ex ignorantia etiam vincibili proveniens, & absque pertinacia assertus, ut dum simplex rusticus divinitatem animæ locum in Christo habere crederet, hancque Ecclesiæ doctrinam esse persuasum sibi haberet, aliter tamen a suis pastoribus instrui paratus. Ejusmodi hæretici seu potius ignorantes non tantum inter Calvinianos &c. sed etiam inter Catholicos non pauci inveniuntur.

Hæresis quoque interna ab externa: occulta a manifesta, hæcque a notoria caute est distinguenda. Hæresis *interna* est error mentis circa fidem, qui nullo signo externo manifestatur: *externa* signo quodam exteriori ac sufficiente proditur. Quodsi signum istud nullo coram teste, sed solitarius emittas, hæresis externa *occulta*; si coram aliis: hæresis tua *manifesta* erit: si denique hi, qui adfuerunt, testes te tamquam hæreticum ad judicem deferant, tuumque crimen sufficienter probent, jam hæresis tua *notoria*, notorietate facti & juris erit (a).

Cætera

da ab Ecclesia proponatur, sicque æquivalenter judicat, Ecclesiam in rebus fidei infallibilem non esse, illiusque judicio acquiescere non vult, quod commune hæreseos judicium est.

(a) Ab hæresi mere *interna* quilibet approbatus confessarius: ab hæresi *externa* extra mortis articulum locorum Ordinarii, & alii specialiter ab his

Cætera inter peccata hæresis (prout jam supra notavimus) sua malitia eminet, fidei enim lumen, quo prætiosius est nihil, in homine extinguit, eumque in regione dissimilitudinis constitutum longe a Deo removeret. Unde factus Paulus ad Titum scribens ait: *Hæreticum hominem evita, sciens quia subversus est, quod ejusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus (cap. 3).* Hinc pœnis tum positivis, tum privativis externos in hæreticos Ecclesia animadvertit. Excommunicatio major ipso facto incurfa jam ab Ecclesiæ exordio communis hæreticorum pœna fuit. Præter hæreticum Clericus de hæresi convictus privatur beneficiis, ac nimium pertinax inventus sæculari extradiatur potestati; Laicus vero si notoria ejusdem hæresis sit, irregularis, infamis, & fisco obnoxius, privatur jure testandi, & in hæreditate succedendi: servi ab ejus eximuntur potestate, tandem sacra exclusus sepultura manet. Iisdem fere pœnis, ac præprimis excommunicatio omnes hæreticorum fautores, defensores, re-

his designati absolvunt. Ab hæresi vero notoria ad forum contentiosum jam deducta de jure ordinario solus Papa absolvere solet, qui tamen hanc absolvendi potestatem plerisque Episcopis sive expresse, sive tacite commisit, vel (ut alii volunt) postliminio ad eosdem redire permisit. Sed de hæresis reservatione suo loco plura. Hæc tamen adhuc notanda ista ab Alexandro VII. confixa propositio: *Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse hæreticum, non teneris denunciaré, si probare non possis. n. 5.*

ceptores &c. Lateranensi in Concilio fuere
subjecti.

Quo gravius hæresis malum, eo cavenda magis
illa sunt, quæ illud inducere solent. Horum præ-
cipua sunt libera ac incauta cum hæreticis con-
versatio, imprudens de fidei rebus disputatio,
ac curiosa librorum hæreticorum lectio, jure
tam naturali, quam positivo interdicta.

Libera cum hæreticis conversatio erit, si
absque justæ necessitatis titulo continetur: in-
cauta, si ad familiarem usque amicitiam pertin-
gat. Hæretici quippe subtilissimis funiculis,
quos astutia plexit, improvidos captivant, &
quin hi advertant, suos ad errores pertrahunt,
aut saltem dubios, ac frigidos in rebus fidei red-
dunt. Hanc ob causam juxta Apóstoli monitum
hæreticos omnes, tamquam excommunicatos
vitari Ecclesia præcepit. Rigida hæc disciplina
Constantiensi in Concilio temperata fuit, iisque
in terris, ubi Catholici cum hæreticis permixti
vivunt, civilis conversatio fuit concessa. Lex
tamen naturalis, quæ periculum peccandi sub-
motum cupit, adhuc hodie viget; ac præprimis
parentes obligat, ne suos filios ad hæreticorum
Academias mittant: famulos & famulas obligat,
ne hæreticis serviant, si Catholicus dominus ha-
beri possit. Nec eos notabilis mercedis excel-
sus seducat: *Quid enim prodest homini, si mun-
dum univèrsam lucretur, animæ vero suæ detri-
mentum patiatur (Matth. 16.)?*



Imprudenter cum hæreticis disputat, quod debita scientia destitutus cum illis ultro congruitur non sine magno succumbendi periculo quod plerumque in laicis sæcularibus timetur unde hisce omnem de fide disputationem sacrosanctos canones prohibent, eosque, qui scienter contravenierint, excommunicatione feriunt (*cap. 2. de Hæret. in 6.*) (a); a qua tamen immunis ille manet, qui in absentia clerici protervum quendam hæreticum pro viribus redarguit, ut calumniam ab orthodoxa fide, & scandalum a presentibus propellat.

Culpabili *curiositate* libros hæreticos legere censetur, qui ex mera sciendi cupiditate, etiam saltem absque obtenta licentia legit. Sicut hæresim, ita & hæreticorum libros Ecclesia semper est detestata: unde ne quis libros, hæresim continentes, absque expressa licentia legere presumeret, sæpius renovata lege cavit, huicque, ut majus robur adderet, excommunicationis poenam (per regulam decimam Indicis, & Bullam cælestis adjutoris

(a) Juxta Sylvium, Sylvestrum aliosque excommunicatio ista non latae, sed ferendæ sententiæ est. Imo in terris, ubi catholici hæreticis convivunt disputationem solummodo publicam et solemnem, non vero privatam discursus gratuita susceptam sub excommunicationis poena esse prohibitam cum aliis Amort opinatur. Hisce & ego lubens subscribo, dummodo de disputatione defensiva, non offensiva libere a catholicis laico inchoata, ac continuata hi Auctores loquantur; hocque & nihil ultra eorum rationes evincunt.

adjunxit. In provinciis variis nec promulgata, nec
recepta ista lex fuit; unde curiosi ibidem lecto-
res nullius quidem canonice pœnæ, peccati tamen
gravis reatum incurrunt, nisi ignorantia, aut par-
vas materiæ (qualis paucarum linearum aut unius
columnæ lectio foret) eosdem excuset (a). Por-
ro

ro

(a) Non solum in Bulla cænæ, & Tridentino in-
dice, sed recentioribus quibusdam Constitutioni-
bus, uti Constitutione 74. Sicti V, Constitut. 36.
Clementis VIII. eadem excommunicationis pœ-
na de novo confirmata fuit. An forsan hæ quo-
que constitutiones in Galliis, aliisque in provin-
ciis non sunt receptæ? Porro ut hæc incurratur
pœna, requiritur. 1. Ut liber sit ab auctore hæ-
retico conscriptus. 2. Ut liber de Religione ex
professio tractet. 3. Ut notabilis ejus pars cum
prohibitionis scientia legatur. Eadem censura illi,
qui scienter tales libros imprimunt, aut imprimi
curant, notabili tempore retinent, defendunt &c.
perstringuntur. Opportune hic observandum,
libros prohibitos in tres distingui classes posse.
In *prima* sunt libri ab hæreticis in materia fidei
conscripti. Hos qui scienter legit, ipso facto
excommunicationem Papæ reservatam incurrit.
In *secunda* sunt libri ab alio quovis auctore com-
pilati, obque hæresis suspicionem prohibiti. Ho-
rum lectio excommunicatio, specialiter Papæ
non reservata incurritur. In *tertia* classe illi
collocantur libri, qui alio titulo, puta ob scoma-
ta, lasciviam, aut doctrinæ laxitatem sunt inter-
dicti, horumque lectores contra legem ecclesia-
sticam, & ob perversionis periculum sæpe contra
legem naturalem peccant; nulli tamen censuræ
subjiciuntur, utut puniri ab Episcopis possint.
Ita P. Billuart Dissert. *de fide. art. 3. §. 4.* Ubi
E e 2 Bullæ

ro ex legislatorum mente non solum qui ipse legit, sed & qui alium ad prælegendum subdole inducit, hac lege comprehenditur. Libri quoque nomine non solum copiosi tractatus sed conciones, epistolæ polemicæ dissertationes &c. praxi ecclesiastica subintelliguntur; magna enim non raro ejusmodi fragmenta, quam multa volumina nocent.

CAPUT IV.

Apostasiæ notio, divisio, ac pœnæ.

Apostasia generice sumpta, prout eam sanctus Thomas definit (2. 2. quæst. 12. a. 1.) est retrocessio a Deo. Hacque ratione omnis peccator apostata dici potest, specialius accepta est retrocessio a bono, quod quis solemniter professus est. Bonum spirituale quod christianus homo solemniter profiteri potest triplex est: fides videlicet, ordo clericalis, & ordo monasticus: unde Triplex Apostasia a Moralistis distinguitur, nempe a fide, a Clericatu, & a religioso statu.

Apostasia a fide est retrocessio a tota fide seu Religione christiana, quam quis in baptismo &c. suscepit. Cum hæresi fere coincidit, quoad dissensus tamen objectum ab illa differat. Hæreticus enim unum vel alterum fidei articulum perfide deserit aut negat: apostata integram articulorum compagem abijcit, ac a tota Christiana fide recedit.

Bullæ cœnæ, & regulæ decimæ Indicis verba de legat, suamque inde sententiam firmat.